Autor Szymonowicz Szym.

FLAGELLVM LIVORIS.

Continens omnia ferè Metrorum genera, quibus vſus eſt Horatius.

Nihil, Deo volente, liuor officit:
Nihil, Deo nolente, proficit labor.



CRACOVIAE,
Ex Officina Lazari. Anno Domini:
M. D. LXXXVIIJ.

IN STEMMA
Ielitarum siue Sariadarum.

MONOMACHIA GRATIARVM, ET EVMENIDVM.

HAstarum fascem, proauorum Stemma tuorum,
Virginea CHARITES diripuêre manu.
Telo quæque suo aduersam confecit Erinnym,
Et Stygiam rapta cuspide fixit, anum.
Inprimis Aglaia, caput confodit Alectûs,
Hastaque funesto sanguine tincta fuit.
Tisiphones pectus, viuis natricibus hirtum,
Transadigit gracili, pulcra Thalia, manu.
Conficit Euphrosyne lethali cæde Megæram,
Traiecit mediam fraxinus Eumenidem.
Dumque videt LIVOR moriturae vulnera matris,
Orphanus infelix, matre cadente, crepat:
Victricesque Deæ, Furiarum Strage peracta,
Hastas in fascem composuêre, suum.

PHTHONOMASTIX ad Zoilum.

Quòd si flagellum nõ times, ô Zoile,
Ne verberêre Scorpionibus, vide.

FLA-

FLAGELLVM LIVORIS.

Continens Odas vnam de viginti:

Ad Illuſtrem & Magnificum Mecœnatem.

ARGVMENTVM.

Omnia ſuis peſtibus eſſe obnoxia:
Inprimis verò, VIRTVTEM Inuidiæ.

ODE PRIMA.

OMnia Mecœnas proprio exercentur ab hoſte:
Namque Deos homineſq́ remordet.
Aduerſus genius, ſua ſtant incommoda brutis:
Et plantis, grauibusq́ metallis.
Ecce Deos armis infeſtauêre Gigantes,
Sacrilego Mauorte ſeueri.
Inuidere Ioui ſceptrum, pateraſq́ beatas
Concilio menſiſque Deorum.
Sidera ſideribus contraria numina quoſdam,
Dextra iuuant, vexantia plures.

Iam prosunt elementa, eademq́ animalibus obsunt:
Constituunt, & corpora soluunt.
Ignibus en syluæ pereunt vredine messes:
Et pratis inimica locusta est.
Quæque suis tineis obnoxia, cernis vt hortum:
Erucæ populantur agrestes.
Frondis opes adedit bruchus nemorisque coronam,
Et vernos accîdit honores.
Curculio Cererem lædit, conuoluolus vuam,
Et fucus flauentia mella.
Thesauros rubigo comest, ærugo metalla:
Dispereunt putredine ligna.
Insidias tendit stabulis truculenta ferarum
Esuries, tristisq́ vorago.
Ast homini lupus est homo, nullaque bellua plures
Mortales, cognataque læsit
Corpora, quàm rabies hominumque insania lædit,
Mutua qui sibi retia tendunt,
Inq́ vicem se se miseranda cæde cruentant
Sanguinis, heu, tàm prodiga pubes.
Et velut in sua coniurati funera ciues,
Præcipites rapiuntur in arma.
Nonné vides homines pasci discrimine fratrum, &
Vicinis successibus vri?

Sau-

Sauciat occulto præcordia vulnere Liuor,
Et fibras exulcerat imas.
Fortunam sequitur comes, vt sine nube micantem,
Vmbra sequi solet æmula solem.
Sed cedò, quid meruit tandem immeritissima VIRTVS?
Cur gemit huic obnoxia vermi?
Scilicet hoc scelus Heroumq; Deûmque nouerca,
Immisit sæuissima Iuno.
Eleuet vt laudes operosáque facta bonorum,
Rumores mentitur inanes.
Sub Iunone fera Liuoris militat ala,
Imperiis Iunonis obaudit.
Æolon instigat Iuno, dum præcipit Euris
Æneæ subuertere classem.
Liuoris matri iubet imperiosa Megæræ,
Vt Rutulos accendat in arma.
Matribus hæc quoque Troianis incendia suasit,
Subiiciant vt nauibus ignem.
Herculeis etiam immisit Saturnia cunis,
Cæruleos; duo monstra, colubros.
Læsit semideos & pectora debita cælo,
Obiiciens certaminis ansas.
Hæc quoque Mecœnas voluit tua facta morari,
Liuoremq; molesta subornat.

Hic in ſyncero tua lancinat acta cauillo,
Cuncta notans aſpergine nigra.
Sed velut è ſolido conflatilis ære columna,
Non cedit tua viuida VIRTVS.
Succubuit Liuor, cuius certiſsima clades.
Hoc noſtro deſcripta libello eſt.

De liuoris ortu.

ODE II.

LIuoris ortus manat ab inferis,
Authore iactat ſe Cacodæmone.
Impleta Cocyto Megæra,
Quem parit atra, ſatu maligno.
Læuo ſolutus membra Cupidine
Cocytus ardet, deperit impiam
Stupratque Dirarum Sororem, &
Suſcipit exitiale monſtrum.
Quod geſtat aluo ſæua puerpera,
Motu ſenili donec in æthere
Compleuerat Saturnus annum,
Atque ſuum peragrauit orbem.
Fœcunda demùm parturit Eumenis,
Quæ mille tetris acta doloribus,

Aptum

Aptum sibi quærit cubile,
Tartareis vlulans in antris.
Tandem recessu fluminis vltimo,
Lætata ripis Tartareæ Stygos,
Curuisque Mæandris Auerni,
Qui nouies Acheronta cingunt.
Selegit vmbras & loca partui,
Tam pœnitendo prorsùs idonea,
Æterna quæ caligo texit,
Cimmeriæq; premunt tenebræ.
Hic semper auras noctua ventilat:
Hic ominosus nycticorax volat:
Hic murium cœtus volucris,
Obstrepit in tenebris vaganti.
Hic multa surgit taxus in æthera,
Buxusque pallens, pinus & ardua,
Surguntque funestæ cupressi, &
Flumen amantia populeta.
His ergò partum sedibus edidit
Proiecta densas inter arundines,
Liuoris atri dira mater,
In Stygiáq; reponit vlua.
Dum triste vagit progenies fera,
Stridore totos concutit inferos.

Accur-

Accurrit Orci fœda labes,
Monstriferique caterua Ditis.
Materterarum Tisiphone prior,
Charo nepoti præbuit vbera:
Ferale suxit lac alumnus,
Nequitiæque bibit medullam.
Post hæc Alecto serior aduolat,
Et gratulatur læta puerperæ;
Quassat caput sæuum colubris,
Crinibus anguiferis timenda.
Contagiosis horrida basiis,
Dissuauiatur labra trementia,
Ducit venenum tristis infans,
Imbuit ossa trucesque venas.
Cunas ad illas & Nemesis venit,
Vnà Querelæ & Vociferatio,
Hùc Ira passu concitato,
Atque silens Odium volauit.
Fatale munus tristéque Pægnium,
VIRTVS Olympo misit ab igneo,
Vt sopiat voces nefandas,
Et pueri fremitus malignos.
Limam trecentis ictibus asperam,
Vt Liuor illam manderet improbus:

Vt di-

Vt diſcat exercere morſus
Indomita domitrice ferri.
Sed dente rodit dum chalybem truci,
Se lædit ipſum ridiculus puer.
Nam bolus inconſumptus, atros
Atterit & violat molares.
Sic fertur infans ille adoleſcere,
Caliginoſis editus in locis.
Velocibus pennis in auras
Hinc ſolet euolitare monſtrum.

Liuoris deſcriptio.

ODE III.

NOſſe cupis faciem Liuoris, & ora mordicantis.
Apellis vdo picta penicillo?
En, quod poſcis habes, monſtrum Furiale conſpicator,
Et cominus vide nefas nefandum.
Quod velut in ſcenam producitur, & ſacrũ triumphũ,
Spectaculo faue Patrone quæſo.
Adſpice prodigium, ſuetum tua facta criminari,
Et gloriæ tuæ quod imminebat.
En caput horrendum, de quo coma viperina pendet,
Cui mobiles vtrinque ſunt capilli.

 Et quos

Et quos non agitat Boreas minaxque Apeliotes,
Sed viperas mouet suum venenum.
Peruigiles oculi nimiumque volubiles vagantur:
Obtutus inquietus & cruentus.
Ambiguo radio, partem simul intuens vtranque, &
Albugine obliqua, nimisque pæta.
Buxea labra tremunt, rubigine nigricant vetusta,
Cum dentibus primoribus canini.
Gutture vox rauco teterrima, vox inauspicata
Dum prodit, ingens obstupescit orbis.
Hæc vox rumores & nuntia seminat sinistra,
Adulteratque gloriam bonorum.
Vulturis est rostro nasus vigilantior sagaci,
Odore cladis pascitur dolendæ.
Et macie vultus consumitur inuidæque malæ,
Vix ossibus strigosa pellis hæret.
Cordis enim virtus eroditur intimæque fibræ,
Quas exedunt striges feræque laruæ.
Æmula mens & lingua procax, manus otiosa torpet,
Dum nil facit, præclara facta culpat.
Ambisinister enim Ceromatæ Liuor atque arenam
Detrectat, inuidet tamen labori.
Vitat curriculum & certamina, pulueremq; sestum,
Bonis tamen data vritur corona.

Inse-

Infestis queritur stridoribus, vngue, dente, voce
    Bacchatur, alas concutit feroces
Alis Nycteridum similes. Volucris velut Dracæna,
    Si in rupium lacessitur cauernis,
Sibilat, euomitat flammas, sinibus rotata crebris,
    Et ipsa vapulat suo veneno.
Morsibus horrificis dum se petit atque mordet ipsam,
    Et spiculo sibi nocet bisulco.
Sic quoque liuor edax, virtutis honore prouocatus,
    Se morsibus castigat ipse iustis.
Extremo dorso trahitur, colubrique creuit instar:
    Plicatilis ter mille cauda spiris;
Quæ longo tractu maculat spatium viamque totam,
    Quacunque serpit virulenta labes.
Harpyie similis, quæ proluuie soluta ventris,
    Mensas & agros inquinat volando.
Tardior est illi, sed non sine fœditate motus,
    Progressibus tamen suis valescit.
Et qua progreditur, si non populatur atque vastat,
    Certè locis aspergit ille labem.
Quæ tangit fœdat: quæ transuolat, halitu perurit,
    Et inficit quæ dentibus prehendit.
Ingenio nigro perimens oculoque peruicaci,
    Veneficáque pupula trucidat.

 Fasci-

Fascinat auditu contagia rebus affricando,
Gustatáque ipso concoquit palato.
Profuit & nares vitare bonis viris odoras,
Occasionésque amputare pesti.
Præcipuè si quis quouis penetrabilis periclô est,
Nec sustinet vulgi leues susurros,
Ille domi lateat, cælans benefacta præmiúmque,
Contentus angulo arbitrisque paucis.
Sed cui spiritus est nullo superabilis furore,
Suffragiis rumoribúsque maior,
Ille foris pugnet, pleno benè firmus in theatro,
Vadátque Marte dimicans aperto.
Non parebit inops Liuor, sed abibit, & venena
Conuertet in suum caput resorpta.
Vt iacit ex oculis mortem Basiliscus in colonos,
Quos eminùs præuerterit videndo.
Si tamen in speculo sese videt author ipse lethi,
Mox pupulæ perit suæ veneno.
Sic quoque Liuoris natura reciprocumque virus,
Prius parentem sæpiusque torquet.
Belua Pompeia dignissima lege, culeoque
Cum viperaque simiáque, claudi.

Quæ

Quæ ſint voluptates, & quæ tormenta, degeneris Inuidiæ.

ODE IIII.

LIuori, Charites, quid placet impio,
Aut quæ pabula ſunt inuidiæ trucis;
Blando dicite verſu, &
Muſæ progenies Iouis.
Nimirùm ſcelus & pernicies virûm
Paupertas lacero ſqualida pallio,
Infamiſq; voluptas,
Decoctrix patrimonij.
Socors ingenium, pigritia graue,
Contemnens humili pectore glorias,
Mens demiſſa, ſolo quæ
Sidit reptilis infimo;
Imprudens animus ſorſq; miſerrima:
Ægroti facies lurida corporis:
Triſti membra grabato
Decumbentia iugiter:
Nec non mors tragico funere tabida,
Famam ſi maculis turpibus oblinit.

Si post fata parentum,
Paupertas premit orphanos.
His pinguescit iners Liuor & improbus:
His illum genitrix inuida pabulis
Densa nutrit in vmbra,
Dum pestem Canis educat.
Sed rursum teneræ dicite Gratiæ,
Quos hostes habeat Liuor, & horrido
Quisnàm dente petatur
Monstri degeneris precor?
Nimirùm probitas atq; hominum salus,
Quæsitæq; bonis diuitiæ modis:
Frugalissima VIRTVS,
Seruatrix patrimonij.
Felix ingenium, quod petit ardua,
Excelso sitiens pectore gloriam,
Adspirans in Olympum,
Curis insuperabile.
Tùm solers animus sorsque opulentior,
Vires eximiæ corporis ardui,
Quod pulchram vegetamque
Præsefert habitudinem,
Mortis mite genus, gloria subsequens;
Post summos cineres, posteritas bona.

Quæ VIRTVTE *coruſcat,*
Fortunatior indies.
His ægreſcit iners Liuor & improbus;
Hæc illum periment Theſſala toxica:
Hæc diræ, bona, peſti,
Perſtringunt oculos malos.
Dent ergo ſuperi, Liuor vt inuidus,
Horis excipiat vulnera ſingulis,
Morſu inflicta perenni
Sæui dentis & vnguium.
VIRTVTIQVE *ſacræ ſtent ſua præmia,*
Splendor, diuitiæ, veraq́ue gloria,
Et ſtipendia, ſudor
VIRTVTIS *ferat igneæ.*

Rogantur Gratiæ, vt cicurent Inuidiam, eāque reconcilient VIRTVTI.

ODE V.

O Nexus Charitum cælicolis mitior omnibus,
Nodo virgineo quem religat cingulus vnicus;
Cur monſtrum pateris támque nefas incicurabile,
Afflatu nocuo geſta hominum lædere fortium?

O non immemores artificî ſurgite virgines,
Liuorem gracili quæſo manu prendite ſtridulum.
Manſueſcat manibus fœmineis liuida belua:
Notis incipiat vocibus & plauſibus obſequi.
En miteſcit equus nec refugit frena & ephippia:
Poppyſmo facili perdomitus dat caput aureis.
Sic ingens elephas æſtiferis ductus ab Indiis,
Diſcit militiam, fert ſolidas tergore copias.
Vrſus Mænalium vel Scyticum quem nemus educat,
Exercet choreas non ſecus vt Ludio Roſcius.
Veſtro numine fit blandior, & Pardalis & Lea:
Aſſueſcit manui tàm placidæ vel draco lubricus.
Solus Liuor iners omnibus eſt vipera viperis
Intractabilior, tàm faciles nec patitur manus.
O Diana, feram ſoliuagam retibus implica,
Et captam lepidis trade precor Cynthia Gratiis.
At vos ô Charites, virgineas ſumite faſcias,
Qui vos perpetuo iure ligat: ſumite cingulum,
Ceruicemque iugo vipeream ſubdite libero,
Et rictum tenera monſtrificum nectite fibula.

Reſponſio Gratiarum, non poſſe illarum comitate manſuefieri Liuorem, neque retibus Dianæ capi.

ODE

ODE VI.

LIuorem non est nostrum cicurare proteruum,
Nec inquinari hac labe Gratias decet.
Tractatur meliùs Libycis Basiliscus in antris;
In aridáque sæua solitudine
Dipsas, quæ morsu sitibundos enecat artus;
Quàm Liuor ille carnifex domesticus.
Nec Diana solet turpes agitare colubros,
Assueta ludis virgo gratioribus.
Nec maculare volet puros innoxia casses,
Nec Diua persequi hanc feram dignabitur.
Nec terrëre canes illam latratibus audent,
Ne præda fascinet Molossos præpetes.
Nam velut irritata, canes incantat Hyæna,
Aufertq; vocem persequenti vertago;
Sïc animum Liuor vocemq; veneficus aufert,
Dum ringitur, canes fugat venaticos.
Respergit fugiens rabidis vestigia spumis,
Quas nulla contingit vel olfacit fera.
Mulcebunt igitur Charites, quòd sæua Diana,
Abominata, non mouet venabulis?
Non facient certè, nec fas est stringere cæstu,
Enorme collum, & cingulo sororio.

Nec sacra fœdabit tàm triste monilia monstrum,
Et fibulas, & virginales fascias.
Non illi dabitur Charitum contingere lucos,
Dapesq́; puri simplices conuiuij.
Nec turbabit Acidalias hæc vipera lymphas,
Ne virus innatet pijs liquoribus,
Spargens cæruleos in aquis liuentibus orbes,
Eheu, veneni signa præsentissimi.
Præterea nobis gliscunt sine fœdere lites,
Hæreditarijque iurgij calor,
Cum Liuore malo, miserisq́ parentibus. Ergò
Facessat & Mægæra, & filius ferox,
Tisiphoneque minax, abeat lethalis Alecto,
Contrariæq́ Gratijs Erynnyes.
Dispereatq́; malus liuor Cocytia proles,
Et nemini tractabilis ferociat.
Non manibus nostris mulcenda nigerrima labes,
Sed igneis est exedenda vermibus.
Quam Lumbricus edat, quā potet hirudo palustris,
Atræ Stygos, cum flammeis natricibus.
Nos Iouis insontes natæ, nec tristia palmis
Portenta mulcemus pijs, nec vocibus.
Nam si quid Furiarum vel Liuoris habemus,
Heu Gratiæ statim sumus non Gratiæ.

Ad no-

Ad nouem Camœnas, vt musicis harmoniis leniant Inuidiã, vel deniq; sopiant.

ODE VII.

FLexanimes Diuæ, queîs vocum Gratia curæ est,
Suauitasq́ carminum Pieriumq́ melos;
Delinite fremens & inexorabile monstrum,
Sono modisq́ Musicis arteq́ melliflua.
Nunc Helicon grata vice Parnaßusq; biuertex,
Spirãtis Hyblã carminis, nectar & omne, sonet;
Vt mitescat atrox Liuor, vel membra solutus,
Humiq́ fusus dormiat voce soporifera.
Numine Pegasides vestro placatur Olympus,
Placantur inferi graues, Oceanusq́ furens.
Auritas ornos deducere montibus Orpheus,
Æmiq; vepres horridos Caucaseosq; rubos
Creditur; & choreis nemus indulgere videres,
Dum filius pulsat fides Calliopeia tuus.
Amphion etiam lapides in mœnia cogit,
Petras ciet surdissimas carminis obsequio.
Æquoreos pisces Cythara demulsit Arion,
Iactura nauis perfidæ: & victima blãda maris:
Delphinum dorsis equitat proiectus in æquor,
Ad continentem patriæ Tænariasq; plagas.

Somnum inducit Aristoridæ Cyllenius Argo,
Pigrum sonante fistula somnificisq; modis.
Centum palpebras fallaci carmine sopit,
Custode cæso, pellicem surripit Inachida.
Threicius fidicen placat testudine Manes,
Ditisq; coniugem feri, Tartareumq; canem.
Quis tandem dubitat, vestra quoq; posse domari
Chely, minutam bestiam vermiculumq; leuem,
Liuorem Stygium, Furiarum ignobile germen,
Nigriq; tormentum ingenî, quod sua corda co-
Ne petat indigno VIRTVTEM dēte coruscā, (mest?
Sed in suis cubilibus dormiat anguis iners.
Extendat gelido sinuosum corpus in antro,
Obaudiatq; vocibus Bistoniæq; lyræ.
Ne bilis tristes animos obnubilet atra,
Vmbratilis malignitas ne fera corda premat,
Iam fidibus doctæ, iam voce sonate Camœnæ,
Concors per auras Musice perstrepat æthereas.
Terpsichore canat arguta Cytharistria chorda,
Cælestis autor carminis intonet Vrania.
Temperet Euterpe varios tibicina flatus:
Dulces Thalia fundat & Calliopea sonos.
Melpomene Clioq; cauæ testudinis ictu, &
Grato susurro perditam leniat inuidiam.

I. mq;

Iamq́; loquax Erato & sumat Polyhymnia plectrũ,
Vt ferueat concentibus Phocidos omnis ager.
Thespia, Libethros, Parnassus & Hippocrene,
Pimplæ scatentes riuuli, Castaliusq́; latex.
Forsitan incipiet Stygius mansuescere Liuor,
Soluet voluptas carminis Musaq́; docta feram,
Auribus excipiet modulos, oculisq́; choreas
Innoxias mirabitur, virgineumq́; decus.
Quòdsi non capiet mentem dulcedo malignam,
Pergetque dente stridere tristis Echidna malo:
Vel si damnabit caperata fronte Camœnas,
Obliqua cernens & gemens, indomitũq́; furens;
Tum saltem pigro iaceat resoluta veterno,
Sopita cantu bellua Pierijsq́; modis.
Fistula Mercurij Diuinaq́; virga, colubrum &
Insomne mulceat scelus, strataq́; membra domet.
Et quo centocolum perimit Caducifer Argum,
Hoc dormientis aspidis amputet ense caput.

Responsio Musarum: Non posse edomari Liuorem Carminis dulcedine.

ODE VIII.

OBtruditur nobis alumnus improbus,
Aonioq; choro nimis moleſta vipera.
Quam nec mouent docti fides Apollinis,
Nec tenues calami raucumq; plorans tibia,
Chelys loquax, effœminata Barbitos,
Nec lyra triſte querens: nec ſibilantes fiſtulæ.
Rupes & arbores mouentur ad ſonos,
Ad numeroſq; ſuos dumi ſequuntur aſperi.
Delphines audiunt ſuſurros Lesbiæ
Dulciloquos cytharæ, fluctus per altos plauſitant.
Cuſtos adulteræ iuuencæ ſedulus,
Mercurij tremula ſopitus eſt arundine.
Canis trifaux, acerrimus Proſerpinæ,
Diuitis excubitor, dat carmini victas manus.
Sed liuor infelix, feris immanior,
Surdior Oceano, quouis rubo ſpinoſior,
Inhoſpitali Caucaſo ſylueſtrior,
Piſcibus indomitis multò furit præfractior,
Immitior ſeruante Manes Cerbero.
Anguibus omnibus eſt Lacerta virulentior;
Et cæteris quo vermis eſt minutior,
Dentibus horrificis eò tenaciùs premit:

Et

Et ſtridulaq; minutiùs teredine,
Pectora comminuit quibus ferox innaſcitur.
Quòdſi Camœnæ perſtrepunt vocaliùs,
Mox quoq; liuor iners intendit acres ſibilos:
Stridet, ferocit, obſtrepit canentibus,
Atque ſuos fremitus opponit arti Muſicæ.
Quòdſi choros exercet vlla virginum,
Legibus Harmonicis obtemperans docto pede;
Mox Liuor æmulus, Camelo proſilit
Segnior, in tenebris ſaltus ciens inconditos:
Expandit alas, calcibus veſtigia
Inprimit vnguiferis, vt per viam repens Draco.
Sed cauda ludentem ſecuta beluam,
Signat & inficit heu longo ſolum volumine.
Nec forma liberalis & modeſtia
Permouet indomitam ſurdãq; mulcet aſpidem:
Fruſtra ſales funduntur & facetiæ,
Et placidæ Veneris feſtiuitas innoxia.
Nec fortitudo Martis, & laudum ſitis,
Nec ſtudium Triuiæ, ſagacitaſq; ſedula,
Liuoris emollit feri præcordia,
Nec ſuperat miſeri crudele pectoris nefas.
Ergo Iouem ſonet Camœnarum chorus,
Atq; viros celebret dignos Apollinis lyra.

Tri-

Tristis malignis eiulet singultibus,
Liuor, & indoleat vstus bonorum gloria:
Obliuione seculorum conditus,
Perpetua sileat sepultus in caligine.

De Liuore Cacodæmonum.

ODE IX.

Infelix Genius lapsus ab æthere,
Cum turba socij complice criminis,
Sidens in specubus carceris infimi,
Flet sedes malè perditas.
Æterno siquidem proxima numini
Cœlorum tenuit summa palatia,
Diuinoq; throno luminis Angelus
Vicinas coluit domos:
Felices oculos in faciem Dei
Defixos habuit, cælitibus pijs
Dæmon lucidior, spirituum sacris
Præfectus legionibus.
Sed fulgore sui luminis insolens,
Tantis intumuit cæcus honoribus,
De se plura sibi pollicitus miser,
Quàm par & licitum fuit.

Maiestate

Maiestate DEI roditur æmulus:
Affectat solium numinis optimi:
Molitur Satàël imperium nouum,
In summis Aquilonibus.
Sic cœlum studijs seditio noua
Turbat sacrilegis, Plurima pars fauet
Autori miseræ stulta coloniæ, &
Votum promouet impium.
Sed rerum genitor, fulmine perditos
Conatus dirimit, cum duce perfido:
Coniurata cohors protinùs æthere,
Deturbatur ab arduo.
Constantes Genij lectaq; concio,
Permansêre suis in stationibus:
Sub victore alacris principe militat
Felix ordo satellitum.
Verùm dissidij Dux, reus ambitus
Et vulgus perijt mobile cœlitum,
Turmatim ruit & fertur ad inferos,
Vt vis horrida grandinis.
Exutus radijs & redimiculo
Splendoris nitidi, cum grege Dæmonum
Suasor perfidiæ truditur inuidus,
Ad fundos Acheronticos.

D *Vrgetur*

Vrgetur tenebris igneq; perpeti,
Ad palum Satanas vinctus aheneum
Diris compedibus: supplicio datur
Æterno, malus artifex.
Mutatisq; locis & vice prospera,
Infandisq; gemens in cruciatibus,
Amissæ patriæ dum reminiscitur,
Dentes dentibus atterit.
Successura sacris dum regionibus,
Humani generis respicit agmina,
Stridens inuidia rumpitur, anguis vt,
Irritataq; vipera,
Tormenti socios atq; superbiæ,
Ad cœtus hominum mittit ab inferis;
Vt mentes miseras ad scelus incitent,
Nantes àëra Dæmones.
Illi consilijs omnia pessimis
Turbant, pectoribus crimina suggerunt:
Imbelles animas præcipites agunt
In fuscæ puteum Stygos.
Inprimis Phthonos est pessimus omnium,
Ses, excarnificans ossa medullitùs,
Vt nîl inuenias duriùs, & nihil
Hoc tortore ferociùs.

Duo

Duo Liuoris esse genera, bonum videlicet & malum. Cuius rei aliquot exempla subijciuntur.

ODE X.

CVm primùm Stygio viuax emergeret Orco,
Liuor nefandus carnifex.
Heu primùm fortunatos irrepsit in hortos,
Mentitus anguem lubricum.
Hic vbi par hominũ fuerat, noua plasmata Diuûm,
Recèns creati coniuges,
Liuor erat scelerum sator, affectator Olympi &
Diuinitatis arduæ.
Mox etiam terras infelix inquinat Hydrus,
Nouos secutus exules.
Concitat in fratrem præcordia rancida fratris,
Suasitq; parricidium.
Quicquid mundus habet scelerum, quid Olympus &
Liuore constant omnia. (Orcus,
Non tamen omnis erit liuor damnandus vbiq;,
Cùm sit bonum alterum genus.
Si quis enim peior melioribus inuidet, vt mox
Et ipse vir sit optimus;

 Inuidet

Inuidet egregiè, generoso percitus oestro.
Suam increpans ignauiam.
Sic opifex doctis indoctior inuidet artem:
Sic diligenti segnior.
Quòdsi non melior, similis tamen esse laborat,
Virtute, sorte, gloria:
Si videt vberiùs lætas adolescere messes,
Videtq; diues horreum
Vicinum frugi, sequitur vicinus arator,
Quamuis iners & negligens,
Versat humum solers, effætos stercorat agros,
Maturiùs quàm cæteri.
Æmulus orator Ciceroni, miles Achilli,
Et architectus Dædalo,
Vergilio vates, & Coo pictor Apelli,
Phœboq; cantor inuidet.
Hic liuor stimulos addit virtutibus acres,
Tollitq; somnolentiam.
Est tamen & liuor nequam melioribus hostis,
Est tristis inuidentia,
Quæ malè VIRTVTI *corrupta mente, precatur,*
Et ipsa nîl facit boni.
Hic liuor tacitè segetes exurit agrestes,
Et palmitum propagines:

Vicinum

Vicinum pecus emulget, gracilesq́ iuuencos,
Visu facit venefico:
Fascinat infantes, thalami diuortia suadet,
Rixasq́; coniugum ciet:
Iurgia concordes disseminat inter amicos,
Cædesq́; patrat impias:
Et Phthisin, & varios inducit carmine morbos:
Fugat Lares domesticos,
Inducitq́; malos Genios: alienat amicos,
Et hospites ab ædibus:
Pestes & maciem pecori meditatur, & herbas,
Visu facit marcescere:
Perfringit vectes, agit in tellure cuniclôs,
Regum petens ærario:
Captat fortunas, detrectat ferre labores,
Opes in otio cupit,
Dum sibi Diuinos decerni poscit honores:
VIRTVTIS expers inclytæ est.
Hic tibi Mecœnas inuidit præmia Præster,
Hic virulentus Scorpio.
Inter pestiferos occulta nitedula vepres,
Lethale spirans toxicum.

Optimum Heroem & patriæ amantissimum, extrà omnem Inuidiæ aleam euasisse.

ODE XI.

HOs tu dante Deo fugis
Inferni fremitus & Furias graues.
Stridorem quoque cardinum, &
Portarum superas dira crepantium,
Quas ferrugine stridulas,
Plutonis taciti fecit inertia.
Liuorem pudet æmulum,
Quòd te tàm fatua mente lacessijt.
Et quòd spicula prompserit
In te iam pharetris omnibus omnia;
Enses cotibus asperis
Nequicquam exacuens, telaq; Martia.
Frustra factitijs ferox,
Fulgetris crepat & fulminat insolens:
Vires exerit impares,
Nummos dilapidans & patrimonia.
Orci monstriferi stupet,
Deploratq; suos Regia milites.

Cocytus genitor dolet,
Obtrito adſpiciens robore filium.
Tu moles velut ænea,
Fulmen Tartareum reſpuis irritum.
Euadiſque potentior
Inſultu Stygio, fortis & inclytus.
Liuoris poſitus manes,
Extrà præcipitem iugiter aleam,
Et iactum variabilem,
Teli vulnifici ſortis & inuidæ.
Nam clades memorabilis,
Quam Liuor fugiens auſpicijs tuis
Accepit, memori metu,
Torrebit miſeris inuidiam modis;
Vt non audeat in bonos,
Inſtaurare ſuas perfida copias.
Sed callem tibi comparat
In cælum pietas, optima pontifex.
Inuitaq; Iouis boni
Scandens ad ſuperos, coniuge liuida.

Rumores inuidorum ſparſi, in abſentia optimi & clariſſimi Senatoris.

ODE

ODE XII.

DVm Senator optime
Causa vocante publici negotî,
Commoratus es foris,
Formidolosus æmulis & asper:
Confodisque tristium
Cornicularum pupulas dolentes;
Heu mihi, quid improbus
Non ausus est dißeminare Liuor?
Fabulamque fabula,
Rumorq; rumorem trahit malignus:
Alter eleuat decus:
Sudore partos atterens honores
Alter hostis acrior,
Infausta quæq; & ominosa fingit,
Otiosus inuidis,
Et otiosis otiosa narrat,
Autor in foro nouus,
Dum concionatur leui popello,
Fumiuenda futilis,
Edentulas anus & omne pascit
Vulgus usque Næniis.
Strepitque tonsorum per officinas,

Per

Per theatra per domos:
Narrator in conuiuijs ineptus;
Et ſubinde ditior
Mendaciorum acceſſione prodit:
Criminatur improbus,
Morumq́; ſanctimoniam tuorum:
Ille fretus angulo,
Miranda prædicit, ſiniſter augur:
Ille patre libero
Diſertus, inuidentiáq; lippus,
Fingit æmulis tuis,
Te ſupplicem manus dediſſe victas,
Turpiterq́; Gratiam
Hoſtes rogâſſe te tuos, fidemq́;.
Sed prius caput petet,
In riuulum tenuem coactus amnis;
Fortitudo quàm tua,
De viribus ſuis remittat vnquam.

Solicitudo Deorum hominumq́; de optimo Senatore dimicante cum Inuidia.

ODE XIII.

QVibus imo ſedet in pectore VIRTVS,
Quibus eſt vel tetricæ cura Mineruæ,
Vocitariq; boni fortè viri iurè merentur;
Simul omnes eadem ſolicitudo
Capiebat, ſimul omnes gemuerunt;
Tot acutis ſtimulis inuidiæ te eſſe petitum.
Mala contagia Liuoris & ipſos
Tetigerunt meliores & amicos:
Ita virus penetrans intima præcordia ſerpſit.
Tamen ingens hominun pars tibi fauit:
Studuit quæ tibi rumore ſecundo;
Ea rurſus metuebat tibi rumore ſiniſtro.
Simul & Dij ſtuduerunt tibi ſancti,
Iouis & Mars ferus, Hermeſq; diſertus:
Aderat tum quoq; blādiſſima Suadela Dearū.
Timuerunt tibi Muſæ Chariteſq; &
In Olympo ſuperûm humanius agmen,
Inimica modò ſola tibi Iunone nouerca.
Tamen illam Deus obiurgat amicus,
Oculorum cilijs Iupiter atrox.
Silet vxor, taciturnaq; timet mente maritum.
Igitur Dijq; virorumq; corona
Meliorum, tibi linguis animiſque
Fauet, & nil bonitas inuidiæ caſtra moratur.

Sed &

Sed & audax Lyrico mota furore,
Mea plaudit tibi deuota Camœna.
Quoties de Furijs ferre triũphum perhiberis.
Nimis acri queritur mæſta dolore:
Quoties vim perhibent inualuiſſe e-
Xitialem, caput inſons nimis vrgentis Auerni.

Expoſtulatio Virtutis cum Inuidia.

ODE XIIII.

LIuor infauſtæ ſoboles Megæræ,
O nepos atræ metuende noctis,
Nate Cocyto genitore nigro,
Liuide fili.
Quid tibi VIRTVS *nocuit frementi?*
Aut quid Heròës nocuêre ſancti?
Cur tuo fœdo teritur bonorum
Gloria dente?
En iaces anguis piger in cauerna,
Semper infames tibi quæris vmbras.
Cur bonis ergò ſua denegari
Præmia velles?

 Quo

Quo tibi fasces cupis aut honores
Iure decerni, locupletis atque
Læta suspiras sata latifundî,
Prædia, vicos?
Non tibi debet Deus otioso
Ista, nec lectus patriæ Senatus;
Sed licet flaua tumeas & atra
Bile fatiscas
Iuris æterni titulo perenni,
Semper hæc VIRTVS *operosa tollit.*
Illa sudauit, ferat illa veri,
Culmen honoris.
Quando tu ludis ferus insolensq;,
Matre sub molli puer educatus,
Perticis audax equitas colurnis,
Compita lustrans;
Illa solertem peragit iuuentam,
Sub verecundo docilis magistro:
Triuit insontes data tædiosis
Artibus, annos.
Quando tu Syluis vlulas paternis,
Nota rimatus fruticeta ducis
Vertagum loro, solita superbus,
Cæde ferarum;

Illa

Illa per libros volitans & vrbes,
Aureum quærit ſtudioſa ramum;
Poſsit vt triſtes ſuperare Lucos
Ditis Auerni.
Tu domi tanquam Satyriſcus exlex,
Opprimis Nymphas, Bromio caleſcis,
Cui voluptas eſt animumq́; rodens,
Alea cordi;
Abſtinet VIRTVS, cupidoq́; frenat
Spiritus, Bacchi fugiens calorem;
Dum foris degit ſequiturq́; duri
Prælia Martis.
Interim dum tu latitas in antris,
Fornici addictus, patrimoniumq́;
Decoquis, ludis, Lachitumq́; potus
Oppida turbas;
Edidit VIRTVS ſpecimen laborum,
In toga prudens, patiens in armis;
Præparant artes in vtramq; partem
Nobile pectus.
Ergo tu mutus miſerande Liuor,
Semper in cœtu celebri tacebis,
Angulo tutus meliora carpes
Facta virorum.

Concionantem reueretur omnis
Ordo VIRTVTEM: regit illa patres
Concilî, fundens trutinata iusto,
Pondere verba.
Tu domi strato recubas cubili,
Mersus in plumis, Geniumq; mulces,
Exigis census inhiasq; lucris,
Pœna coloni.
Vltimo durata Aquilone virtus,
Interim sumptis oneratur armis,
Redditus & se patriæ saluti
Posthabet ipsam.
Dic mihi sodes posito furore,
Præmijs iustis vter extat horum
Dignior? vel cui rogo debeatur
Gratia maior?
Nunquid ignauo stupidoq; ciui,
In toga muto timidoq in armis?
An bono & forti, patriæq; causa,
Plurima passo?
Nempe qui plura & meliora semper
Egit, in longos referenda fastos,
Præmijs amplis etiam sub hoste
Iudice, dignus.

Fasq; si spectes apicesq; legum,
Segnis & væcors, etiam parenti est
Imperatori benè diuidenti
Prætereundus.
Desinas ergò, vel iners iacere,
Vel queri, quòd te melior iacentem
Iure præuertit, sua tollat vt sti-
pendia VIRTVS.
Legibus sacris ita comparatum est,
Vt bonus pigro tibi præferatur,
Læuus ignauis DEVS, in merentes
Præmia transfert.

Nihil noui accidisse Mecœnati, cum eadem Fortuna presserit veteres Heroas.

ODE XV.

ACcidit an beate
Quid noui, quod te meritò non meritũ lacessat?
Non equidem putârim,
Cum scias priscos eadem semideos tulisse.

Hæc eadem proteruus
Et malus Dæmon superis intulerat benignis,
Qui modò post labores,
Nectar in cælo liquidum cum Ioue patre potant.
Prælia multa Iuno,
Libero patri peperit, materiam laborum.
En reparatur Hydra,
Herculi ærumnas referens perpetuo renatas.
En Palamedis insons
Æmulũ VIRTVS *habuit dexteritasq́; Vlyssem:*
Rursus & ipse Vlysses,
Sentit Aiacis furias & capitale virus.
Hectore sic Achilles
Morsus, Æneas Rutulo roditur ipse Turno.
Et patiens Athenas
Sparta facundas odio prosequitur vetusto.
Arsit & vrbs Elisæ
Laude Romana, titulos imperiumq́; captans.

Criminationes æmulorum, salua VIRTVTE, in ipsos redundauisse.

ODE XVI.

Æreus

Æ Reus vt paries, nec non adamantina turris,
Stat benè fixa solo:
Impetui minimè cedens ictumq; repellens,
Mißile non metuit
Balistæ iaculum, fundaq; volatile saxum:
Plura pericla ferens
In caput aduersum iaculatoremq; proteruum,
Dum sine mente furit;
Crimina, sic tibi liuor edax, obiecta resorpsit:
Ipseq; talis abit,
Qualem te voluit: tunica velatus & illa,
Quam tibi fortè parat.
Incolumis VIRTVS multò radiantior exit,
Quò magis ingemuit.
Furnus vt argentum probat explorator & aurum,
Splendidiusq; facit;
Sic quoq; tu splendes inter mendacia maior
Desidis inuidiæ.
Liuor at infelix inhonesto saucius ictu,
Vltor & ipse sui:
Supplicium de se sumit proiectus in vmbra,
Est iecur ipse suum.

Quasnam calumnias resorpserit Inuidia.

ODE XVII.

NOn erubescis Liuor ignauissime,
Stas inuerecundus foris?
Potes né tot reglutiens calumnias,
Sufferre conspectum fori?
Redundat in caput tuum quod finxeras:
Tricæ tuæ te strangulant.
En prodijt, quem tu calumniatus es:
Qui teste conscientia
Stat absolutus, & bonorum calculis,
Et omnium sententia.
VIRTVTIS argumenta & innocentiæ,
Iam diluunt fictum nefas:
In teq; deprehenditur de patria
Dolosa nundinatio:
Traducta Maiestas, & ipsis mortuis
Conuitiaris Regibus.
Nam dignitati detrahis viuentium,
Elinguibusq; manibus.

Tu

Tu factione Sarmatas Diûm genus,
Tumultibusq; concutis.
Io triumphe, vicit innocentia:
Periclitantur æmuli:
Siletq; Liuor cum suis rumoribus.
Io triumphe nobilis.

Quòd Liuor absentem rodat, præsentem VIRTVTEM pertimescat.

ODE XVIII.

VT nigri lemures nocte sub horrida,
Sol dum sanctus abest æquore conditus,
Pascuntur tenebris, sæpeq; territant,
Et ludunt hominum pallida corpora.
Sol dum purpureo prodit & emicat
Auroræ thalamo, nox abit humida,
Laruarumq; choros occiduo refert
Orbi, cum nebulis ima petentibus:
Cessant insidiæ, lux fugat aurea
Nocturnas Furias, & Genios malos.
Te nox atra timet magne Diespiter,
Nec solare iubar Styx fera sustinet.

Sic Liuor querulus, dum facies abest
VIRTVTIS, fremitus excitat improbos,
A tergoq; bonos exagitat viros,
Audax atq; catus fingere crimina:
Interdumq; minax rem vocat ad saga
Pacis, sæpè canit tempore classicum,
Dum securus abest hostis & inscius,
Vel ridet fatuam sæpè ferociam.
Sed postquam radio fulgida proximo
VIRTVS emicuit, sidus vt inclytum:
Dum plena facie prospicit ardua,
Præsenti penetrans omnia numine;
Maiestate sua territat æmulos,
Conniuent Furiæ, protinùs occidit
Liuoris miseri tota proteruitas,
Fulgorem fugiens intolerabilem.
Ieiunasq; minas atque ferociam
Rideres alacris spleneq; libero;
Cernens inuidiæ castra fugacia,
Et murem tumidis montibus editum.

Peroratio ad Iuuentutem, vt contemnat Inuidiam.

ODE

ODE VLTIMA.

VOs igitur Iuuenes moneo, cessate morari
Liuorem miserum; sed pergite ferre labores,
AErumnasq́; graues, & ne desistite cœptis.
Sibilet ille licet, feriat stridoribus auras;
Regia vos tutos nihilominùs orbita ducat
Culmen in ætherium, placidā VIRTVTIS in arcem.
Non tolerabit iners & nodosissima serpens
Cernere vicini torrentia lumina solis.
Donec enim consueta petent spineta colubri:
Dumq́; occultabunt horrentes aspida vepres:
Dumq́; latet sitifer specubus Melanurus in arctis;
Semper liuor edax nota latitabit in vmbra.
Et velut à magno confixus Apolline Python;
Sic cadet inuictæ Liuor VIRTVTIS ab ictu.
Atra quidem vobis caudamq́; trahentia nigram
Semper sunt, vel Pythagora monitore, cauenda,
Non metuenda tamen; Sed tanquàm sæpè viator
Quem fugit incedens, inuentum conficit anguem;
Sic quoq; præclarè factis torquendus, vt horrens
Intereat Liuor, vel certè latret in vmbra.

Ad Mecœnatem.

MAgno cum Ioue Regiam Deorum
Magnis fert humeris onuſtus Atlas.
Tu molem patriæ, piumq́; pondus,
Mecœnas, humeris beate geſtas,
Aſſeruaſq́; ſuo Ioui Polonos,
Regnum virgineo integrum nitore.
Ergò qui tibi non fauet patrono,
Certè nec patriæ fauet ſaluti.

F I N I S.